



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

c. 13. Contra Christianos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

pediendo officio Inquisitorum. dat enim eis potesta-  
 tem committendi citationes, & sententiarum denū-  
 tiationes: dat potestatem vocandi peritos, clericum,  
 & populum, ut eis assistant. dat potestatem procedendi  
 contra illos, qui de sua in aliam provinciam  
 se transtulerunt. dat potestatem repetendi libros,  
 & processus, commutandi, & mitigandi pœnas, pri-  
 uandi, & priuatos nuntiandi, officijs, & honoribus  
 hereticos, fautores, & defensores eorum: ita tamen  
 quod hoc fiat de diœcesanorum vel in eorum absentia  
 vicariorum suorum consilio, nisi ydem scienter  
 talibus beneficiis contulissent. hoc dicit Ioan. And.

C A P. XII.

Edictum circa  
 an. Domini  
 1296.



† Vide Eym.  
 3. p. q. 15.

† Eym. 3.  
 par. q. 77.

† Eym. 3. p.  
 in forma mo-  
 nendi populi  
 de sermone fi-  
 dei habendo.  
 † Eym. 3. p. in  
 q. 42.

† Eym. 3. p. q.  
 11. & ibi di.  
 xi copiose.

**V**T commissi vobis officij debitum  
 vtilius, & vberius exequamini, lan-  
 ctæ memoriæ Inno. Alexan. & Cle-  
 mentis prædecessorum nostrorum  
 vestigijs inherentes, vobis & vestrum  
 singulis committendi citationes, & denuntia-  
 tiones sententiarum, quas in quoslibet hereticos  
 credentes, receptatores, defensores, & fautores eo-  
 rum tuleritis. Aduocandi quoque, prout expedi-  
 erit, peritos quoslibet, ut vobis assistant, & in hu-  
 iusmodi ferendis sententijs præbeant consilium  
 opportunum, ac eis, quod super his vobis humiliter  
 pareant in virtute obedientiæ iniungendi:  
 Conuocandi quoque etiam clericum, & populum ciuita-  
 tum, castrorum, aliorumque locorum (prout dicto  
 negotio fidei iudicari expedire.) Et contra illos, qui  
 quos in provincia, in qua vobis Inquisitionis of-  
 ficium est commissum, hæresis crimen confite-  
 rit commississe (licet ad alias partes se transferen-  
 dos duxerint) procedendi, nec non faciendi a qui-  
 buslibet assignari vobis libros seu quaternos, &  
 alia scripta, in quibus Inquisitiones factæ ac pro-  
 cessus per quoscumque auctoritate Sedis Apo-  
 stolicæ vel legatorum eis habiti contra hereticos con-  
 tinentur, & illorum qui vestris mandatis obedi-  
 tes, humiliter stant propter hæresim in carcere,  
 vel muro reclusi penam vnâ cum prælatis, quo-  
 rum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutan-  
 di, cum videritis expedire: Priuandi quoque vel  
 priuatos nuntiandi dignitatibus, ac alijs beneficijs  
 Ecclesiasticis de diœcesanorum, vel eis absentibus  
 vicariorum suorum consilio, & officijs publicis  
 ac honoribus quibuscumque eosdem hæreticos,  
 credentes receptatores, & defensores ipsorum, eo-  
 rumque filios, & nepotes plenam concedimus fa-  
 cultatem. Sunt autem diœcesani in priuando tales,  
 vel nuntiando priuatos beneficij huiusmodi re-  
 quirendi. Nisi fortè constaret legitime, quod iudè  
 scienter huiusmodi personis eadem beneficia con-  
 tulissent: tunc enim eos in his requirendos non  
 esse censemus, sed potius a suo iudice puniendos.

Idem.

Christiani ad Iudaismum transeuntes, et redeun-  
 tes hæretici reputantur. hoc dicit secundum Zenz.

C A P. XIII.



**C**ONTRA Christianos, qui ad Iu-  
 dum transierunt, vel redierunt Iudeo-  
 rum (etiam si huiusmodi redeuntes  
 dum erant infantes, aut mortis metu,  
 non tamen absolute, aut præcisè coacti baptizati  
 fuerint) erit tanquam contra hereticos, si fuerint  
 de hoc confessi, aut per Christianos seu Iudæos  
 conuicti: Et sicut contra fautores, & receptatores,  
 & defensores hereticorum, sic contra fautores,  
 receptatores, & defensores talium est proce-  
 dendum.

COMMENT. XIII.

**D**E materia huius c. præter Ancharanum, Ge-  
 minianum, & alios interpretes hic, videndus  
 est Eymericus p. 2. q. 44. & quos refero super eadē  
 questione: Nunc omittis ceteris de quibus suis locis  
 commodius differam, solum hic ostendam occasione  
 illorum uerborum, seu Iudeos conuicti, quando Iu-  
 dæi admittantur ad testificandū contra Christianos,  
 nam de alijs in fidelibus quid sit sentiendum, agam  
 cum Eymérico. 3. p. q. 68. & seq. In primis explora-  
 ti iuris est, infideles quicumque illi fuerint a testimo-  
 nio dicendo contra Christianos repelli. auth. credē-  
 tes. C. de heret. c. 1. de testib. c. si hereticus c. nō po-  
 test. 2. q. 7. c. ipsa pietas. 2. q. 4. & tradunt comuni-  
 ter Doctores. in c. 1. extra de heret. quoniam, ut in  
 d. c. non pot. scriptum est: Non potest erga homi-  
 nes esse fidelis, qui Deo extitit infidelis.

Ceterū in crimine hæresis in uniuersum infideles  
 quicumque, & etiā Iudæi aduersus Christianos testi-  
 monium dicunt, ut apertissimè docet hoc responsum,  
 ubi gl. in verbo, Iudæos, & ibidē Geminianus, Præ-  
 cius, et ceteri communiter. gl. in c. 1. de testib. verbo  
 fideles, ubi Doct. communiter, Palacius Rubius in  
 allegat. de hæresi. §. ultimo. Gondissaluis de hære. q.  
 12. nu. 10. Joannes Roias sing. 190. & copiosè Fe-  
 lyn. in c. Iudæi. de testib. optimè Hieronymus Gi-  
 gas tracta. de cri. lese maiest. lib. 2. tit. quomodo et  
 per quos probetur. que est. 10. & potissima ratio est,  
 ne ex defectu probationum tam graue scelus impuni-  
 tum remaneat. l. quoniam. in fi. C. de hære. c. dilecto,  
 & cap. significauit. de testibus.

Neque hoc solum habet locum, quoties ageretur  
 de conuincendo Christiano apostata, qui prius fuit  
 Iudæus, & postea reiuuauit, ut probat textus in  
 d. capit. contra Christianos, sed etiam cum ageretur  
 de conuincendo Christiano non apostatate, seu totā  
 religionem Christianam deserente, sed in vno vel  
 altero tantum articulo delinquente: idque ob ean-  
 dem rationem, ne videlicet Crimē hoc remaneat im-  
 punitum: rursus etiam in fidei fauorem, argumento  
 capit. in fidei fauorem. de heret. libro sexto, quo-  
 niam si hæretici aduersus hereticos admittuntur,  
 optimè docet Eymericus, 3. p. q. 69. iure optimo etiā  
 Iudæi admitti debēt, cum commoda ratio diuersita-  
 tis assignari non possit, & maior prohibitio in hæ-  
 retico, quam in Iudæo esse videatur secundum glo.  
 in cap. pagani. 2. q. 7.

Ad hæc,

*Ad hec, Iudæi non modo recipiuntur in testes ad uersus Christianos, eo modo quo proxime dictū est, sed etiam multo magis aduersus Iudæos nō baptizatos, in omnibus illis casibus, in quibus ad uersitatio nem Inquisitorū pertinere noscuntur: id quod longa probatione non indiget: nam si ob fidei fauorem nō profuit sua priuilegia Christianis, quo minus testimoniō infidelium uirgeantur, nec proderunt infidelibus.*

*Qui sint autem casus, in quibus Iudæi nunquam baptizati Inquisitorū potestati supponuntur, tradit Emericus. l. p. q. 44. 45. & 46. Repertoriū Inquisitorum uerbo, Iudæus. Campegius ad Zanchinum, c. 26. uers. delinquunt circa fidem eorum. eleganter beatus Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. ibi: Sunt tamen cōpellendi a fidelibus, si ad sit facultas, ut fidem nō impediāt, uel blasphemijs, uel malis persuasiōnibus, uel etiam apertis persecutiōnibus. Hec ille. Quib. uerbis amplissime complexus est in genere uir sanctus omnem causam ob quam possunt Inquisitores in Iudæos animaduertere.*

*Verum tamen ne res controuersa amplius in dubium uerteretur, Sanctissimus Dominus noster Gregorius. XIII. Statuto quodam incipiente: Antiqua Iudæorum. edito anno Domini 1581. (Calen. Iunij, nominatim decreuit blasphemias, & flagitia Iudæorum, in que hereticæ prauitatis inquisitores animaduertunt. Id statutum in fine Directorij inter alias litteras Apostolicas curauimus imprimendum.*

*An autem cum Iudæi uel alij infideles testificātur aduersus catholicum, perinde sit de illis iudicandum, ac de testib. alijs integris, quorum duo plenam faciunt probationem, grauis est quæstio, quam non pariter huius commentarijs breuitas. Reijciam eam in 3. p. q. 64. ubi est proprius locus. Videto interim Palacium Rubinum in allegatione de heresi. §. 15. Aretinum in c. fi. de testibus Albertinū de agnos. assertio. q. 34. num. 3. & seq. ceteros præcitato loco apud Emericum referam.*

*Denique illud mouere oportet, ut quando Iudæus admittitur in testem, iuret de dicenda ueritate nō super Euangelia, quibus non credit, sed super legem suam. ita Io. in de Imola in Clemen. 1. de testi. & Antonius Butrius in proemio Decretalium. Quælis autem sit eius iuramenti forma, tradit. Specul. tit. de iuramen. calum. §. resiat. uers. penul. sed melius Repertorium Inquisitorum, uerbo, iuramentum. §. sequitur uidere. & sequen.*

*Idem.*

*Non confiscantur dotes uxorum innocentium, propter heresim maritorum. hoc dicit, secundū Zenze.*

C A P. XLII.

**D**ECREUIT † felicit recordationis Innocentius Papa quartus, quod propter heresim maritorum, uxorum Catholicarum dotes non debeant confiscari. Quod intelligendum fore censemus: nisi forte mulieres ipsæ cum uiris matrimonia contraxissent, quos hereticos tunc sciebant.

*Idem.*

*Filij hereticorum usque ad secundam lineam paternam, ad primam uero maternam sunt inhabiles ad beneficiū Ecclesiasticum, uel officium seculare; si patres ante mortem Ecclesie reincorporati non fuerint. hoc dicit, secundum Domi.*

C A P. XV.

**T**ATVTVM † felicit recordationis Innocentij, & Alexandri prædecessorum nostrorum: ne uidelicet heretici, creditores receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque Filij usque ad secundam generationem ad aliquod beneficiū Ecclesiasticum, seu publicum officium admittantur: quod si secus actum fuerit, sit irritum, & inane. primū, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus; per maternam uero ad primum duntaxat uolumus hoc extendi. Hoc sanè de filijs & nepotibus hereticorum, crediturū, & aliorum huiusmodi, qui tales esse uel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse uidetur non autem illorum, quos emendatos esse conuenerit, & reincorporatos Ecclesie unitati, & pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesie penitentiam recepisse: quam ipsi uel iam perfecerint uel humiliter prosecutioni eius insistant, uel parati fuerint ad recipiendam eandem.

† Eym. 3. p. q. 114. 115. & dicitur ibi plenius.

*Idem.*

*Inquisitor Papæ super heresi sine speciali mādato non inquitur cōtra episcopum: sed si eum culpabilem sciuerit, nunciabit Papæ. hoc dicit, Io. And.*

C A P. XVI.

**I**NQUISITORES † hereticæ prauitatis, ab Apostolica Sede seu alio uel alijs qui buslibet deputati, de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos nequeunt, aut eius textu procedere contra eos: Nisi in litteris commissionis Apostolicæ, quod hoc possint, continetur expressè. Si tamen Inquisitores ipsi, Episcopos, uel alios superiores prelatos sciuerint, uel inuenerint circa crimen hereseos commississe, aut eos de hoc diffamatos existere uel suspectos, id te nebuntur sedi Apostolicæ nuntiare.

† Vide Eym. 4. p. q. 26. 27. 30. & dixi ibi dem copiose

*Idem.*

*Non derogatur ordinarijs super processu hereticorum. licet Papa generaliter alteri deleget. Et sup eodem facto episcopus, & Inquisitor possunt procedere communiter uel diuisim, uel proferre sententiam in qua si discordant, debent Papæ referre. Et episcopi qualitercunque procedant, debent seruare modum Inquisitoribus impositum. hoc dicit, Domi.*

C A P. XVII.

**P**ER hoc, † quod negotium hereticæ prauitatis alicui uel aliquib. ab Apostolica sede generaliter in aliqua prouincia, ciuitate, uel diocesi delegatur, diocesani episcopi,

† Hæc decretalis declaratur per extra uag. Ex co. u. de hære. quæ paulo post in feritur.